

Petrus Paulus Vergerius¹⁾ an Vadian.

Basel. 1550. Januar 20.

Seine Wahl als Pfarrer nach Vicosoprano.

Clarissime vir et frater in Christo hon(orande), veneram Basileam eo animo, sicuti tibi dixeram, ut hic hiemarem^{a)}; sed deus aliud statuit de me. Vocat enim ad ministerium oppidi, quod est apud Rætos, cui nomen Vicosoprano; cui vocationi nullo modo resistendum putavi. Itaque eo proficiscor infra duos dies. Quum vero ego te ex animo diligam, volui tibi rationem rerum mearum reddere et simul rogare, ut una cum fratribus deum roges pro me. Feceris mihi rem gratissimam, si quando ad me scripseris. Literas Curiam mitto; nam inde ad me facile perferentur. Ego vicissim sæpe ad te scribam. Mitterem ex meis libris, quos modo impressi; sed sunt lingua Italica scripti. Vertentur tamen propediem non(n)ulli, tum in Latinam, tum in Germanicam, et curabo, ut habeas aliquot exemplaria. Catalogus²⁾ iam versus est in utramque et cito edetur. Vale, frater hon(orande), et me, ut facis, ama. Saluto Keslerum atque omnes istius bonæ ecclesiæ ministros. Rogate deum, pro me, inquam.

Basileæ, XX. die Ianuarii 1550.

Vergerius.

Clarissimo viro D. Ioachimo^{b)} Vadiano, fratri optimo.

San Galli.

a) „hyem-“. — b) „Ioacch-“.

¹⁾ Von dem zum Protestantismus übergetretenen Bischof und päpstlichen Legaten *Petrus Paulus Vergerius* sind 4 Briefe an Vadian vorhanden, 3 liegen in St. Gallen, 1 in Bremen. — ²⁾ Ein Katalog über die im Jahr 1549 verdamnten Bücher; s. F. Hubert: *Vergerio's publicistische Tätigkeit* S. 268/9.